

ad priorem redeas libertatem, considerans et poenam  
quae subsequitur luxuriam et gloriam quae virtutibus est  
35 reposita. Nam hi quidem qui resurrectionem futuram  
non credunt, si vitam suam neglegunt et nullum futuri  
iudici concipiunt metum, nihil mirum est. Nos vero qui  
multo certius intuemur futura quam praesentia, tam  
infeliciter agere et tam misere et nullam recordationem  
40 capere futuri iudicii sed in ultimum decidere contemp-  
tum, extremae dementiae est. Nec potest aliquid huic  
malo conferri, si credentes non credentibus similes simus?  
Quinimo in illis non pauci reperti sunt, qui in hac vita ani-  
mae virtutibus floruerunt. Et quae nobis erit excusatio,  
45 quid solatii, si in die iudicii isti nobis producantur ad  
exemplum? Tum praeterea, videmus nonnullos nego-  
tiorum incidisse naufragium et universam perdidisse  
substantiam, nec tamen propter hoc deiectos esse et  
resedissee, sed rursus adgressos eandem viam atque eadem  
50 exercitia reparasse, et illi quidem damna haec non desi-  
dia animi, sed ventorum violentia pertulerunt. Nos autem  
qui certi sumus de fine rerum et manifeste novimus quia  
si nolumus neque naufragia animae neque damna pote-  
rimus incurrere, quomodo non arripiamus denuo priora  
55 exercitia et negotia, quae neglegentes omisimus, repa-  
remus? Sed iacebimus resupini et desides et manus otio-